230

VIRO
NOBILISSIMO,
AMPLISSIMO & CONSULTISSIMO,
DOMINO

IACOBO MEISNERO

INCL. REIPUBL. THORUN. CONSULI
SENIORI,
ET AERAR. PUBL. PRÆF. PRIMAR.
GRAVISSIMO,
Iam quoque
FELICI OMINE NOVITER DESIGNATO

SCHOLARCHAE

OBLATI VEL HONORIS VEL ONERIS ERGO,
SERO QUIDEM SED SERIO
Omni cum animi observantia
gratulari volebant
GYMN. THORUN. CIVES.

THORUNII,
Impressit Ioh. Nicolai NOBIL. SENAT. & GYMN. Typogr.

Labante mundo, quid validas tamen
Aeternet vrbes, quid decus afferat
Perenne, consecretque fastis,
Dicite Castalides Sorores!
Num, si minantur moenia sideri,
Altaeque turres si caput arduis
Vel nubibus condunt, profundo
Vel pelago sua saxa mersant:
Num forte, si Mauortia robora
Stant agminatim, tergora vertere
Ignara, quin portas & ipsos
Inficiant clypeos cruore:
Vel, si redundant mercibus Indicis
Cellae, & capaci conditur horreo,
Quae verritur campis Canopi
Alma Ceres, Libyaeque arenis:
Haec illa sunt, quae urbes adamantinas,
Et gloriarum reddere adoreas
Possint in ævum, neu repente
Secula destituant cadentes?
Errat, beatas dicere sustinet
Qui civitates, quod vel Apollinis
Vel dextera Martis locatae,
Arcibus & similes Gigantum
Pulsare tendunt sidera vertice.
Atqui nec Argi, nec Semiramidis
Moles supersunt: non Athenae,
Non Ephesi, aut bimaris Corinthi
Muri perennant. Busta Asiae iacent
Disiecta passim, & magna cadavera
Karthaginis Numantiaeque
Nomen inane manent sepultae.

Maie-

Maiora ſunt, queis Copia, Fauſtitas,
Et Fama perpes oppida inambulat:
Aſtraea, circumſpecta Virtus,
Religio ſuperis amica.
Facunda Pallas ſi ſocias manus
Iungat deabus, ſplendidius nihil
Aut celſius ſurget, nec ulla
Fulmina nec metuent ruinas.
Sic urbs Quirini crevit, & imperI
Enorme corpus rexit, ut ordine
Porrecta maieſtas Eoo
Cardine & Heſperio cubaret.
Thorona quondam ſic caput extulit,
Secura fati quando Opulentia,
Permiſta regnantum fauore,
Luxuriare dedit nepotes.
Felix adhucdum, ſervat & aſſerit
Priſcos honores, viribus ingenI
Evecta, MercurIque alumna
Ruderibus mediis vireſcit.
Cernis, coruſcis CVRIA gemmulis
Quantis niteſcat! quot micet ignibus
ARA & pyropis! quot LYCEVM
Nobile ſideribus caleſcat!
Pridem refulſit ſidereum iubar,
ROESNERVS, extans orbe Boruſſidos:
At Praeſidem nuper Senatus
ZERNIKIVM ſtatuit modeſtum,
Poſtquam Scholarchae munera ſedulus
Implevit: huic dextro auſpicio datus,
MEISNERE, Succeſſor recenti
Lumine conſpicuum Lyceum

Clara-

Clarabis. Io! macte Tuis bonis
Thorona! gaude praesidio novo
Parnasse! nam docti & faventes
Usque Patres capient sub umbram
Musarum alumnos. Phosphorus additus
Soli micanti, pellet ad extima
Caliginem, saeva exulatum
Barbaries properanter ibit.
Plures sequentur tempore, quos parat
Coniuncta fasces Gloria CONSULI:
Iam Sella adornatur curulis,
Iam Tibi REX *apicem reponit.*
Nempe ut suomet se diademate
Aurata Virtus vinciat, ac sua
Contenta maiestate perpes
Erigat ipsa sibi tropaeum;
Vestigat illam sed tamen undique
Honos latentem, ne lateat sibi:
Hanc ambit invitam, modesti
Quam fugiunt trabeam Quirites,
Nunc ergo laetae currite candidis
Horae quadrigis! currite secula,
Magnoque felices SCHOLARCHÆ
Secula deproperate menses!
Innube semper rebus in arduis
Pectus coruscet: quo capitis sacra
Ab arce prospectare Verum,
Nec liceat fluitare in undis.
At vos lubentes colla Scholarchicis
Musæ lupatis subdite! sit ratum,
Qui dat sibi leges, vicissim
Hic poterit dare iura mundo.

113219